

POSITIONES

EX

UNIVERSO JURE.

POST OFFICE

UNIVERSITY



EX

JURE NATURAE.



I.

Recte quis dixerit: Naturam esse principium actuosum entis internum.

II.

Inest omnibus actionibus nostris naturalis quædam bonitas aut malitia.

III.

Existunt leges naturales, quæ sunt necessariæ, aternæ, & immutabiles.

\*\*\*

IV.



IV.

Bona, perfectiones & jura quibus homo actu instructus est, suam ejusdem constituunt.

V.

Gaudet quilibet homo jure securitatis & defensionis, gaudet & jure violentiæ, sed non nisi ob læsionem.

VI.

Deus est colendus non tantum cultu interno, sed etiam externo.

VII.

Officiis erga Deum negativis cedere debent omnia reliqua officia.

VIII.

Ex sola ratione intelligitur præceptum esse amorem inimicorum.

IX.

Omnis turpis est Calumnia, Criminatio autem vaga turpissima.

X.

Simplex ingratitude jus cogendi non tribuit.

XI.



XI.

In conflictu officiorum erga se, & erga alios  
ubi par est utriusque causa, potentior est qui te-  
net, quam qui persequitur.

XII.

Hinc fugere volenti non est jus mediæ viæ  
interpositum certa morte prosternendi.

XIII.

Autochiria jure naturali simpliciter est prohibita.

XIV.

Occupari nequeunt res jacentes, quas scilicet  
occupandi jus jam fuit occupatum e. g. thesaurus  
in fundo alieno.

XV.

Si quis in extrema necessitate versetur licite  
res alienas contrectat, cum obligatione tamen re-  
stitutionis, si ad meliorem fortunam pervenerit.

XVI.

Qui falsam religionem profitenti jusjurandum  
defert impietatis author non est.

XVII.

Perperam nonnulli interpretationis doctrinam  
a jure naturæ alienam putant.



XVIII.

Nullum excogitari duellum potest, quod cum lege naturali consentiret.

XIX.

Occisio calumniatoris est medium famam defendendi injustum.

XX.

Doctrina successionis tam ex testamento, quam ab intestato non est juris mere positivi.

E X

**JURE PUBLICO UNIVERSALI.**

---

XXI.

Civitas est cætus hominum sui juris sub communi imperio securitatis causa congregatus.

XXII.

Cujus imperans summus & independens esse debet.

XXIII.

Adeoque a nemine judicari aut deponi potest, licet male imperet.

XXIV.



XXIV.

Uti nec ob hæresim, errorem, malitiam do-  
lumque in religione commissum eum imperio de-  
ponere fas est.

XXV.

Summitati tamen neque clientela neque pa-  
ctum de alterius Majestate comiter veneranda obest.

XXVI.

Leges civiles ex duplici fonte essentia civita-  
tis & rebus incidentibus desumendæ in qualibet  
civitate sunt necessariae.

XXVII.

Licet peregrini regulariter legibus affirmati-  
vis non subjiciantur, si quæ tamen in ipsos pere-  
grinos latæ sint illos quoque obligant, & genera-  
liter quotiescunque non nisi sub hac conditione  
admittuntur legibus etiam affirmativis tenentur.

XXVIII.

Jus puniendi imperanti competens jus vitæ &  
necis sub se complectitur.

XXIX.

Quia omnes æqualiter ad commune bonum  
conferre tenentur, hinc indemnitas præstanda est



ei, cujus res ob collisionem in usus publicos conversa sunt.

XXX.

Religio vera nequit derogare juribus imperii civilis, quare ministri ecclesiae non secus ac laici imperio civili subsunt.

XXXI.

Emigratio personarum nexui civili adstrictarum regulariter illicita est.

XXXII.

Deficiente omni alio servandae civitatis remedio, civem etiam innocentem hosti extradere licet.

XXXIII.

Pacta cum subditis rebellibus inita servanda sunt.

XXXIV.

Etsi imperans legibus a se aut antecessoribus latis qua talibus non obligetur, lege tamen publica universali tenetur actiones suas privatas iis attemperare.

XXXV.

Tutor regius Majestatem non obtinet, sed est officialis publicus ad reddendas rationes obstrictus.

XXXVI.





XXXVI.

Licet imperans singulos cives imo integrum populum lædat, ideo tamen ei resistere non licet.

XXXVII.

Idem de Magistratibus tenendum est, etiam hos, quamquam personas publicas, æque ac reliqua civitatis membra jus resistendi non habere.

XXXVIII.

Innoxia abdicatio imperii etiam invito populo licita est, at non intempestiva.

XXXIX.

Subditi licite & valide homagium invasori præstant.

XL.

Si tamen a legitimo imperante iterum defendi possunt ad eum redire tenentur.

E X

J U R E G E N T I U M.

XLI.

Jus gentium est jus naturæ ad negotia gentium applicatum, & per notionem gentis magis determinatum.

XLII.



XLII.

Præter jus gentium naturale aliud universale non datur.

XLIII.

Transitum concedere exercitui alterius gentis, quo illa hostem pctit, non est officium innoxie utilitatis, quod vi extorquere liceret, nisi plena securitas præstetur.

XLIV.

Si duo fæderati ejusdem gentis bello inter se collidantur, tunc ei, qui prior est tempore, auxilia præstanda sunt, nisi causa ejus sit manifesto injusta.

XLV.

Si vero sint ejusdem fæderis socii, ita ut neuter habeat prærogativam temporis, neutri auxilia præstanda sunt.

XLVI.

Gaudent gentes jure mittendi legatos, quos admittere, & audire saltem tunc est officium perfectum, si autem illatæ injuriæ reparationem petant, aut æquas pacis condiciones offerant.

XLVII.



XLVII.

Idololatria, impietas, aliaque flagitia, quibus jus naturæ immaniter violatur, non præbent justam belli causam si absit læsio.

XLVIII.

Neque crescens vicinæ gentis potentia inter causas belli justificas referri potest.

E X

TURE PUBLICO GERMANIÆ.

XLIX.

Quando leges ferendæ aut authentice interpretandæ sunt, status imperii gaudent suffragio decisivo in ordine ad formandum imperii placitum.

L.

Consensus statuum per placitum imperii declaratus non est causa legis sociæ, sed conditio sine qua non.

LI.

Inde consequitur, quod leges imperii status etiam collective sumptos obligent tanquam proprie dictæ.

\*\*\*\*

LII.



LII.

Pax religiosa ac Westphalica non modo valide sed & licite inita fuit.

LIII.

Germania non est systema fæderatarum civitatum, sed una civitas.

LIV.

Et quidem Monarchia electiva sed valde limitata.

LV.

Electus in germania in imperatorem nulla & pontificis confirmatione indiget.

LVI.

Rex romanorum vivo imperatore propriam potestatem non habet.

EX

JURE CANONICO.

LVII.

Christus est author & legislator ecclesiæ christianæ, cujus characteres sunt universalitas, unitas, & perpetuitas.

LVIII.



### LVIII.

Potestatem regendi ecclesiam a se fundatam Christus transfudit in apostolos, & hi in successores, scilicet in episcopos.

### LIX.

Episcopi potestatem in primitiva ecclesia se ad omnes fideles intra suæ diœceseos limites existentes, cujuscunque demum illi dignitatis & ordinis fuerint extendisse pro principio generali & certo est tenendum.

### LX.

Quemadmodum summus pontifex tanquam Christi in terris vicarius leges statuit, ita reliqui episcopi, quos S. Spiritus posuit regere ecclesiam Dei jus habent intra limites suarum diœcesum, salva tamen subordinatione leges ecclesiasticas condendi.

### LXI.

Huc quoque refertur jus dispensandi non modo in Synodorum diœcesanarum statutis, sed etiam conciliorum generalium decretis disciplinariis, si gravis causa id exigat.



LXII.

Et si potestas sacra qua talis, civili qua tali non subjaceat.

LXIII.

Jus tamen circa sacra principibus secularibus nequit denegari.

LXIV.

Ex eodem fundamento leges ecclesiasticæ sine placito regio promulgandæ non sunt.

LXV.

Jus universalia concilia convocandi competit S. pontifici, hoc tamen non obstante primorum sæculorum concilia convocantibus imperatoribus celebrata æcumenicis recte adscribuntur, & semper ac ubique adnumerata sunt.

LXVI.

Jus S. imperantis civilis ministris ecclesiæ exclusivam dandi, ex principiis supra stabilitis in dubium trahi nequit.

LXVII.

Principi catholico etiam competit jus tollendi jura ecclesiastica, si inde orientur turbæ ac diffidia in republica.

LXVIII.



LXVIII.

Exemptio personarum ecclesiasticarum ab oneribus reipublicæ præstandis est juris humani ex privilegiis principum & imperatorum originem suam trahens.

LXIX.

Residentia clericorum curam animarum habentium in loco beneficii jure divino est præcepta.

LXX.

A qua, siquidem istud in præjudicium ecclesiæ vergeret, excusari non possunt, neque etiam contraria consuetudo sufficit.

LXXI.

Pœna excommunicationis est pœna mere spiritualis, quæ nullos effectus civiles ex se & natura sua post se trahit.

EX

JURE CIVILI.

LXXII.

Adoptio jure romano tribuit nobilitatem.

\*\*\*\*

3

LXXIII.



LXXIII.

Errarunt Em. Merillius, & cum eo Heineccius, qui putabant impuberes per curiæ dationem non posse legitimari.

LXXIV.

Tutor ob dolum remotus fit infamis, ob culpam latam non æque.

LXXV.

Ubi successione est commodum, ibi & tutelæ onus esse debet.

LXXVI.

Quibus modis dominium quiritarium desinit, iisdem solvitur jus patriæ potestatis.

LXXVII.

Negotiorum gestor ordinarie præstat omnem culpam etiam levissimam.

LXXVIII.

Cum in peculio castrensi & quasi castrensi filius familias pro patre familias habeatur consequens est, eum de his inter vivos & mortis causa disponere posse.

LXXIX.

Furtum romanis erat delictum privatum, hodie est publicum.





EX

JURE CRIMINALI.

LXXX.

Reus legitime interrogatus nudam tenetur fateri veritatem.

LXXXI.

Inter plura articulorum vitia a quibus judici interroganti abstinendum est, & illud in considerationem venit, ne inquisito de suo aut complicum facto examinando juramentum deferat.

LXXXII.

Immunitas localis seu asyla non ex jure divino, sed potius ex principum liberalitate derivanda sunt.

LXXXIII.

Orta lite an aliquis sit asyli locus, judicium legitimo imperanti, aut qui eum repræsentat relinquendum est.

LXXXIV.

Pœna mutilationis cum sine civitatis non conspirat, ideoque etiam illicita est, nisi ad mortem exacerbendam adhibeatur.

LXXXV.



LXXXV.

Quemadmodum imperans pœnas infligere ita  
& pariter eas remittere seu agratiare potest.

LXXXVI.

Pœna publica satisfactionem privatam non  
tollit.

LXXXVII.

In criminalibus probationes per documenta  
literals non sufficiunt.

E X

J U R E F E U D A L I.

XXXVIII.

Institutum feudorum gentibus originis ger-  
manicæ debetur.

LXXXIX.

Non modo regalia minora, sed etiam majora  
in certo districtu dependenter tamen a summa po-  
testate in feudum dari possunt.

XC.

Imo nec Majestatem in feudum dari repug-  
nat.

XCI.



XCI.

Feudum etiam in rebus mobilibus consistere potest.

XCII.

Concessa facultate alienandi non censetur etiam concessa facultas testandi.

XCIII.

Nec vicissim concessa facultate testandi censetur etiam concessa facultas alienandi.

XCIV.

Ad dominium utile in re ecclesiæ præscribendum requiruntur 40 anni.

XCV.

Matrimonium ad morganaticam nihil iniusti continet.

XCVI.

Vasallus qui a diversis dominis feuda possidet, nequidem per substitutum posteriori contra priorem dominum servire potest.

XCVII.

Vasallus subditus eo prætextu servitia denegare nequit, quod bellum sit iniustum.

\*\*\*\*\*

XCVIII.



XCVIII.

Licet feudum sit francum tamen femina ad  
successionem non admittitur.

XCIX.

Nec in feudo pignoratitio succedit.

C.

Felonia non nocet agnatis innocentibus, nocet  
tamen descendens delinquentis.

